



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Eius virtutes. n. 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1619. neglectum, at nunc vacuum latibulum, in vanum frementes freudentesque. *Blondus* exulceratis per ascensum muri & scrupis suris ac pedibus, ab non longè posita Catholica domo acceptâ rusticana veste & calceis, reliquâ nocte viam regiam tenens et si luto grauem, nè aberraret, apud alium Catholicum diuertit, iacuitque tribus hebdomadis ager, tum Londinum delatus ad vltiorem curationem: hæsit tamen illi in omni vita dolor ex frigore contractus.


Eius prudentia & industria.

XXXVI. Quanquam deinde à *Garnetti* præsertim felici exitu præcipua Missionis tractans negotia frequenter in itinere, frequentius Londini incurreret in perquisitores & fallos fratres, tentus tamen nunquam est; Quod et si prouidæ Dei curæ præcipuè tribuendum erit, qui quosdam vult Martyres, quosdam Confessores, illos magna sustinendo, hos magnis factis clarere, plurimum tamen in *Blondi* industria positum fuit, qui rarissimè, nisi de nocte, egrediebatur domo, rarius intrabat nisi densis tenebris, & eorum Catholicorum qui omnibus noti erant vitabat studiosissimè in publico congressum nè & ipse notaretur. In nobilium virorum colloquia libenter veniebat, quoniam vel discibat quidpiam quod non esset vulgare, vel id quod ipse docebat ad multos inferioris notæ poterat pertinere. Non libenter tamen cum ijs congregiebatur qui ad Regni gubernacula sedebant, quoniam procliuè erat hos quidpiam postulare quod ipse neque tutè negare, neque honeestè posset concedere. Prudentiæ & integritatis fama Iacobum & Carolum Reges (quidquid de cæteris sentirent) huic fecit semper beneuolos: tantam verò erga omnes seruabat æquitatem, vt fortè Catesbeyus interuenientem hoc lepòre acceperit: "Hic adest *Blondus* quem omnes amant, cum ipse neminem) Ad Sacerdotis quoduis officium quouis tempore, & quantouis cum discrimine præstandum promptum se præbebat ac sedulum; ad spectandum verò vocatus si quid esset rari aut friuoli, ægrè descendebat, "Etenim si vt Sacerdos, inquit, capiar, non grauatè feram; nolim tamen vt inconsideratus aut stultus) Ea fuit semper Oratorum Regis Catholici pietas & erga Societatem reuerentia vt huius Superiori locus in eorum palatijs nunquam defuerit, in quo vel continenter habitaret, vel quo cum vellet se reciperet. Oratoris quidam famulus pecuniam Domini sat magnam profuderat; quærebatur ad supplicium; confugientem ad *Blondi* conclaue vi extrahunt; quid faciat *Blondus* grauis iam ætate, & canis, & Prouincialis munere senex? Petit ab Oratore audiri: Admissus, abijcit se confestim in genua, orat, obsecrat, flagitat reo veniam, & tandem impetrat: quid enim tanta caritas cum abiectione tam magna non euinceret? alioquin inuitus miscebat se dominorum cum famulantibus querelis; difficile existimans iudicium in quo iniuriâ cum iustitia contendente, Domini partes tanquam potiores tuendæ plerumque sunt. In victu ac vestitu domestico eximiam colebat paupertatem vilioribus contentus; cum esset prodeundum tali utebatur cultu

Charitas & humilitas.

1619.

cultu qualis ei agenda esset persona, cauens ne quid insolens indueret quod obuiorum oculos ad se traheret; id quod suis frequenter praecepit usurpandum. Atque his ornatus Prudentiae, integritatis, temperantiae, modestiaeque virtutibus cum nostris intra Insulam laborantibus pluribus annis praeuisset exemplo atque auctoritate, dictus à Mutio omnium Vice-Provincialis, animum adiecit ut eo maiori ordine atque incremento res in posterum agerentur quo sub nouo nomine latius patebat eius in omnes utrobique positos potestas.



Kkk

HIS

Blanc
Blanc
Blanc
Blanc
Blanc

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. Some words like 'HIS' and 'Kkk' are visible.]